



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vlrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica**

**Hutten, Ulrich von**

**[Frankfurt am Main], 1538**

**VD16 H 6395**

Vlrichi De Hvttten Eqvitis Germani Ad Caesarem Maximilianum,  
Epigrammatum liber.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13027**

# VL RICH I D E H V T

TEN EQVITIS GERMANI AD

Cæsarem Maximilianum, Epigram-  
maticum liber.

## P R A E F A T I O.



Rumpit tandem Cæsar, & lenita-  
tis tuæ præsidio, in lucem egredi au-  
det, magnarum nugarum, haud ita  
magna diligentia elaboratus à me li-  
bellus, ut qui ne senserit quidem ad-  
huc, qua communis debebat, limam. Erumpit tamen,  
immaturus ille quidem, sed autoris sui periculo, quem  
istæ manent seueræ Criticorum sententiæ. Quanquã  
non mea id omnino culpa fiat. Quippe, cùm uecte clau-  
sissem hunc, certus non ædere, contigit, ut qui magnã  
eius olim partem descripserant, paulo post in Italia  
iam agente me, & ne suspicante hoc quidem, diuulga-  
rent. Quod ego in Germaniam rediens, ubi comperis-  
sem, & iam Epigrammata ipsa in manibus haberi ui-  
derem, corrupta illa, & ut raptim quodq; ac ipsa ad-  
huc incude feruens collectum erat, quid aliud face-  
rem, quàm ut reuisas nugas, & paucis admodum emen-  
datis erroribus, atq; ut obiter fieri potuit, deterfa, si-  
qua horridior esset, scabritie liberius euolare paterere.  
Accedit ad hoc, quod in tua aula, qui mei studio tenen-  
tur, aliquid efflagitabant, quod tua cum laude, ut ipsi  
putabant, æderetur, ac statim æderetur, sic fore dicti

A 2

PRAEFATIO.

tantes, ut tibi innotescerē. Ita non iam meapte ductus  
ambitione, sed aliorum importunitate coactus, in er-  
rorem consensi, siue hoc tibi gratum facio, siue non  
bene nouerunt te, qui hoc aliquid referre existima-  
bant. Quod utcunq; aestimes non magnifacio. Iā alio  
enim opere, & magis accurato illo fortē, tuis occur-  
rere uirtutibus decreui. Interea hoc habe, quæ si non  
admodum probes, legas tamen, aut non legas etiā, sal-  
tem habeas. Sunt Epigrammata uariē, diuersis locis  
ac temporibus in tuas scilicet uictorias, aut ut quodq;  
obiectum est, quod uel ipse uidi, quibusdam enim in-  
terfui, uel aliorum relatione gestum cognoui. Quam  
rem, si accuratius paulo retulisset in literas, contem-  
nere nemo potuit, nunc istam in dubios euentus, et am-  
bigua sorte, aleam iacio, pro te interim uouens, ut diu-  
tissime nobis imperes, & incolumis persistas, hoc cre-  
bro afferens, εἰκος ἐστὶ, κοινὸν ἔστι αὐτοῦ ἀρχεῖν  
τῶν ἡμῶν δὴ καὶ ὅτι οὐκ ἀρχόντων ἀρχόντων.  
Nec tu se-  
cus de Germania uideris esse meritis. Quæ enim bel-  
la non gessisti, sine magno nostro dispendio? Inimico-  
rum opera ultus inimicos, cum qui hinc inde hostes  
essent, eos inuicem committeres, uidelicet, ut te absu-  
mere qui contenderent, hi se ipsi, te spectante, ac incē-  
dium illud tuo flatu alente, consumerent. Quo consi-  
lio, Gallorum incommodo afflixisti Venetos, rursus  
q; Gallos Heluetiorū ac Britannorum opera perculi-  
sti, nostris ad omnia pericula rarissime usus. Pruden-  
ter per deos, ut isti scilicet, de quorum potentia ali-  
quid

## PRAEFATIO.

quid suspicionis ad te pertineret, cōminuerentur, nos hic in omni securitate pacem haberemus, & quod omnium uincit admirationem, tantum bellū, tam graue, tam periculosum, ne sentiremus quidem. Quid illud? militibus, qui Veronæ in præsidio erant, et qui Brixam tuebantur, his quinq; plus mensibus, Venetorum pecunia, qua inducias illi abs te redemerant, stipendium adnumerari quòd uidimus? Hoc primum te imperante passi sunt Veneti, ut suis opibus contra se militantes compararent. Age uero, à quo unquã rege, aut principe, eo more pacem petiuerunt, quo à te primo huius belli anno apud Cremam profligati cum essent, ut qui pacem dares, idem conditiones pacis scriberes? Nec obtinuerunt, te infensius iam irato, quàm placari qui posses, aut pacem qui prece ac precio intercedente admitteres. Quod faxit Deus Opt.

Max. ut salutare huic imperio, tibi summa cum laude & gloria exeat.

Sed iam sine ipsis me tibi nugis obstrepere.

A 3

EPIGRAMMATA  
AD LIBRVM.



E prodi titulo ampliore rebus,  
Picta fronte, nitore liminari,  
Vt fallas populum liber sub auras,  
Multos uidi ego sic superbientes,  
Scombris, & piperi togas dedisse,  
Exi simpliciter, citraq; pompan.

DE SE.

**F**Rancia cui patria est, gelidam porrecta sub  
Arcton,

Hercyniumq; nemus, qua uitifer exit in annens  
Mogus Rhene tuum, qua Fagina sylua feroces  
Francorum populos uicino dirimit Hesso,  
Cui pater Hattenus, atq; ordine mater eodem  
Contigit ex Equitum, tractu tentauit in illo  
Caesareas pugnas peregrino inscribere uersu.  
Itale da ueniam, si se haud feliciter infert  
Cultibus ille tuis, certè acceptum ipse tulisset  
Vatibus Ausonijs, si quem meruisset honorem.

DE AQUILA.

Hec uolucris quæ nunc passis nihil utitur alis,  
Omniaq; aëria despicit è specula.  
Si quasquam in terras rostrumq; armarit & unguem,  
Quas turbas illam posse ciere putem?

DE CAESARE.

Christus habet caelos, infra regit omnia Caesar,  
Nec nisi caelestem respicit hic dominum.

AD

## HVTTENICA.

### AD CAESAREM.

Quæ causa, aut quæ res mortalibus olim,  
Quos colerent uotis, indidit esse deos?  
Nempe eadem, quæ te feret hinc super æthera uirtus,  
Prouehit hæc homines, & facit esse deos.

### DE AQUILA.

Non mirum est, si iam cunctatrix spernitur Ales,  
Tam lenta multos usa quiete dies.  
Nã neq; compertam est, quid dum tacet illa uoluet,  
Quæ sibi constituat tempora, quid uè paret.

### DE EADEM.

Hanc uolucrè, quæ nunc sine bello & sanguinis usæ  
Pacem habuit multos semisopita dies,  
Si quis adortus erit, nec siuerit esse quietam,  
Dispercam malè, ni consulat ille sibi.  
Non est iste sopor, ex quo non surgere possit,  
Sæpe lacebitæ est alta soluta quies.  
Atq; ubi surgit humo, per apertasq; euolat auras,  
Hæc quantos circum concitat illa metus.

### AD AQUILAM de motu Cæsaris.

Armiger alte Iouis, mundi timor, inclyta uirtus,  
Quos ruis in populos?  
Quo se mitis amor, quo se clementia uertit,  
Quæq; fuit pietas?  
Arma gerit mundus, pax est turbata per omnes,  
Priscæq; rupta quies.  
Mouit causa uiros, furibundæ in prælia gentes,  
Te duce bella gerunt.

EPIGRAMMATA

Ira duces, & cædis amor, fastidia pacis  
Vnâ iniere tuos,

Inclyte terrarum ductor, spes summa tuorum,  
Altè amor, altè timor.

Quos trahis euentus animo? quas concipis iras?  
Cui uè nocere paras?

Quas affligis opes, aut quod fortissime regum  
Destruis imperium?

An mortale tuis peius requiescit in alis,  
Te fruiturq; genus?

Hæc quisquam irata numiumq; nocere parante  
Quæsiit ex Aquila.

Rettulit illa uiro, causam illinc Gallia pugnae  
Præbuit, hinc Veneti.

Sæpe quidem Venetis, quanquã exagitata, peperci,  
Cum peterent ueniam.

At Gallos etiam meritis, & uiribus auxi,  
Non retulere uicem.

Vix ea commemorans, totas consurgit in alas,  
Nunquam ita terribilis.

Cui se tot populi iuxta, passimq; secuti  
Applicuere duces.

Heu malè consultum Venetis, Galloq; ruenti,  
Quos necat iste furor.

AD CAESAREM.

Velle puto Superos, ut te tua fata repente  
Sublimem priscis adnumerent atauis.

Vota ferunt homines, & te superesse precantur,

## HUTTENICA.

Inferā nam quis te dīgeret hęc melius?  
Ast ego fumosas quoties loco munus ad aras,  
Hoc peto, & hoc mecum mille petunt alij.  
Inuideant ne te misero pia numina mundo,  
Atq; ita dent cęlos, ne hinc rapiare citō.

### DE MAGNITVDINE Maximā

liani ad Germaniam.

Quid ueteres mirare tuos Germania Reges?  
Quid repetis priscos in tua secla Duces?  
Ne pete Gambriuios, natosque Tuisconis omneis,  
Visaq; sub Manno fortia corda deo,  
Hermionasue alacreis, natosque Ingeuones armis,  
Cymbrorum proceres, Teutonicumq; genus.  
Quiq; domi tibi, quiq; foris peperere decorem,  
Neue Ariouistos, Arminiumq; ferum.  
Crede mihi, temere pręsens reuocatur ad ænum  
Carolus, ut fortis, magnus ut ille fuit.  
Quid septem Henrichos, quid tres miraris Othones,  
Non ulli dignos cedere Scipiadi?  
Et Latio horribiles Friderichos, quos ratio egit  
Vlcisci infidos sanguine Pontifices?  
Ut tunc tempus erat, nemo ornamenta superbe  
Teutonię potuit prouehere ulterius.  
Nemo istis melius gessit, uel pace, uel armis  
Rem patrię. Nemo fortius arma tulit.  
At si quem probitas, si quem omnis criminis expertus  
Mens dignum patrio fecerit imperio.  
Si cupis innocuos mores, pacemq; fidemq;



EPIGRAMMATA

Summus et ad uotum Maxmilianus erit,  
 Quem neq; mollicies possedit, quæq; uoluptas  
 Terrarum dominis regibus esse solet.  
 Et cui non placuit luxu indulgere supino,  
 Si qua fuit, nunquam pax odiosa fuit.  
 Mecebris nullis, nullaq; libidine fractus  
 Desuit ille sibi, desuit ille tibi,  
 Quis uidit madidum myrrha crispare capillum?  
 Quis uidit castia, quis maduisse croco?  
 Quando armis requiem, bello quando oia honesto  
 Aut trabeam rigido prætulit ille sago?  
 At contra integritas, contra est clementia uirtus,  
 Quæq; artes tantum percoluere animum,  
 Si petis ingenium, si ne qua industria desit,  
 Septem uno linguas hic solet ore loqui.  
 Si petis, ut sumptis bellum experiatur in armis,  
 Iam ruit in Gallos, iam ruit in Venetos.  
 IN OBSIDIONE PATAUINA æger.  
 Euganeas uideo turreis, Antenoris urbem,  
 Speratum fractis effugium Venetis.  
 Telorum uolat omne genus, defendere muros  
 Illi, nos contra tendimus eruere.  
 Nos cælum et tellus, illos sua mœnia seruant.  
 Spes nobis, illis propositus timor est.  
 Reddidit inclusos sua desperatio forteis,  
 Cumq; fuga ulterior nulla sit, arma mouent.  
 Si quis in hoc numero est, qui possit plurima, ciues,  
 Hunc ut seruemus, me perimant Veneti.

IAM

## HVTTENICA.

Iam pede pertesum est, claudoq; insistere talo!  
Qui ualet ut uiuat, me perimant Veneti.

### DE MAXIMILIANO Cæsare.

Ille uiri Cæsar, pacis studiosus, & æuo  
Segnitie nimia uisus obesse suo,  
Cernere enim factis licet, & nouitate stupenda  
Maiore est, quàm tunc corde putatus erat.  
Donec facta tulit Veneti opprobriosa Senatus,  
Non caruit, sed non perfrutus est animo.  
Atq; igitur reputans, quæ nunc sub pectore dicit  
Qui non hoc Marij, Scipiadaeq; latent?  
Maxima non laus est, confestim effundere uires,  
Sed remorari animum, temporibusq; frui.

### AD CAESAREM Maximil.

Si tua corruptum moueat clementia mandum,  
Ut constet, rebus non inhietq; nouis.  
Si te propositas Cæsar comitemur ad arteis,  
Si coëant uotis omnia uota tuis.  
Maior Roma fuit, nunquam contendere possim,  
Si qui ad hanc ueteres ducat Olympiadas.  
Nunc nostris trahimur uitijs, nobisq; perimus.  
Quos tu, quàm malles heu tua iussa sequi.  
Verte animum Cæsar. Non te mitemq; bonumq;  
Non te clementem tempora nostra uolunt.

### DE SE in obsidione Patauina.

Erraram à castris ad clausam Antenoris urbem,  
Continuò flamma missilibusq; petor.  
Certè equidem fateor, timui: nec ut antè mouebam

EPIGRAMMATA

Inuidiam lingua, sed bona uerba dedi,  
 Parcite, qui Pataui muros arcemq; tenetis.  
 In me uulnifica mittere tela manu.  
 Parcite me Veneti ferro disperdere & igni.  
 Ne de tot pessum millibus unus eam.  
 Non ea fortuna est, ut nunc ego uiq; manuq;  
 Horrida commoti Cæsaris arma sequar.  
 Huc me sola trahit uestri admiratio regni,  
 Noscere uos cupio, perdere non cupio.  
 Ut uideam ueni, non ueni euertere bello  
 Altini sedes, Euganeasq; domos.  
 Alter ab arctoa uobis furor imminet Alpe,  
 Germanum peditem ducit Iberus eques.  
 Has ruite in uires, nam quæ tum gloria parta est,  
 Si de tot pessum millibus unus eam?  
 Nulle hostem mouere preces, mihi terga relapso  
 Heu quam difficili consulere fuga.  
 Ut cæso me nullus honor fuit, haud ita uobis  
 Pulchrum est me claudos eripuisse pedes,  
 Dicebam, & fessus media inter millia cursu,  
 Tutus in effosso delitui tumulo.

DE LEVIVSCVLA quadam à  
 Venetis accepta elade.

Cernis, ut Adriacas moueant noua gaudia Ranas?  
 In numerum Venetus, ut saliatq; Leo?  
 Cernis, ut Euganea respiret Marcus in unda?  
 Utq; tumens patria uix capiatur aqua?  
 Causa rei, sumptis non faustè Teutones armis,

Mile

## HVTTENICA.

Mille quod à Venetis procubere duo.  
At postquam ferus arma geret Ioue uindice Cæsar,  
Quod tutum Venetis tum satis æquor erit?

### DE VENETIS & Germanis.

Tollere pax Venetos, Germanos arma solebant.  
Ingeniumq; suum pondus utrisq; dabat.  
Mutantur mores, neq; enim Germania pugnat,  
Armaq; tu temere conseris urbs Venetum.  
Si licet ire retro, uicibus date mutua uersis,  
Res tunc Germanis, Res erit & Venetis.

### IN Gallos Cæsarem fugere commentos.

Solaris te Galle miser, tibi gaudia fingis,  
Hæc petis in media commoda tristitia.  
Fingis enim, rebusq; tuis lætum instruis omen,  
Quo quis te in populo non putet ista pati.  
Finge quidem, casusq; tuos solare premendo.  
Interea Cæsar dum gerat ista tamen,  
Et quem tu iactas abrupto excedere bello.  
Hæreat in tergo, cæde manuq; tuo.

### PRO PASQUILLO Romæ.

Anxia lustrato postquam Gens Itala mundo  
Consuluit uates, consuluitq; deos,  
Quod malè respondent uates, Pasquille, deiq;  
Te rogat, amisso Cæsare, Cæsar ubi est?  
Certa nec accessi referunt oracula Delphi,  
Nec Dodonei sylua canora Iouis.  
Omnia templa silent, nullus canit abdita uates,  
Ipse tacet Lybico corniger orbe deus.

EPIGRAMMATA

Vt tandem inueniat, miro Florentia motu,  
 Visa est iam claro sole tulisse faces.  
 Atq; aliquis metuens, ne sit sine Cesare mundus,  
 Elegit Gallum Caesaris esse loco.  
 Maxima res, neq; te Pasquille peritior alter,  
 Dic tandem uates optime: Caesar ubi est?

PASQUILLVS.

Pone metum Romane tuo de Cesare, uiuit  
 Vlla fides ex me si tibi, uiuit adhuc.  
 Vis ultra sperare aliquid? uenit hoc ego uates,  
 Quo ratiùs loquitur Delphica fama nihil.  
 Pugnaces reuolant aquilæ, uidi ipse uolantes,  
 Et tota horribiles spargere ab alpe minas.  
 Quid gemitis Veneti tandem? quid Galle tremiscis?  
 Hæc ego non dixi sæpe futura prius?

DE Quodam in Italia conuentu.

Omnia miscentur, confudimus infima summi:  
 Partitur, quisquis non sua regna tenet.  
 Abstrahitur Latium secluso à Cesare, donat  
 Hoc aliquis Venetis, hoc tibi Galle aliquis.  
 Oppositam molem, iniectasq; ut transeat alpeis,  
 Has Aquilæ pennas quis satis esse putet?  
 IN VENETOS iam exultantes.  
 Desinite ob casum Veneti exultare repente,  
 Que fortuna bona est, itq; reditq; citò.  
 Armiger iste Iouis, qui lumine dormit aperto,  
 Sublimi uobis imminet è specula:  
 Qualis ea est, non est Aquilam contemnere tutum,

sæpe

## HVTTENICA.

Sepe quid assuetam ferre, morasq; pati.  
Itaq; soporatae similis, si mouerit alas,  
Quos non cominuò conciet illa metus?  
Non tutum est Aquilæ Veneti contemnere pennas,  
Et ualde his potis est, & nocuisse citò.

### DE CAESARE & Venetis.

Rana procax nuper Venetas egressa paludes,  
Ausa est, quam tetigit, dicere: terra mea est,  
Quam procul ut uidit specula Iouis ales ab alta,  
Conuulsam ad luteas ungue retrusit aquas.

### DE Venetorum petulantia.

Bella mouent Veneti, poscunt te in praelia Caesar.  
Quæ mora? da bellum, praelia Caesar ini.  
Excipiant Rhoeti Venetos, alacresq; Sueni,  
Germanos gladios Itala parma uoret.  
Hec uixdum ediderat quisquã, cû iam impete facto,  
In Venetos rueret, consereretq; manum.  
Cromnia progenies, & magna filia Troiæ,  
Quò fugis? hostili cum pede siste pedem.

### DE BELLO Veneto.

Quid faciunt Veneti? pugnant. Quo milite? Ranis.  
Quo duce? mentitus præcipit arma Leo.  
Tû quibus auxilijs? Gallorû. In quo hoste moratur?  
Caesare. Quid prædæ queritur? Italia.  
Quid gessere igitur? quosdam exciuerunt tumultus.  
Quod fortasse duces terruit Italicos.  
Quid factum interca? mouit Iouis armiger alas.  
Quid Veneti? rebus consulere fuga.

Quæ

EPIGRAMMATA.

Quem finem sperare licet? Regna uolucrum,  
 Et rostro, & sauis unguibus arma geret.  
 Desinet esse Leo, spolio dux uictus adempto,  
 Frastraq; in Adriaca Rana latebit aqua.

DE ODIOSO VENE-  
 torum imperio.

Quae uicinia non tulit molestè  
 Regnantes Venetos? quis anxio non  
 Commutare uolebat hos periclo?  
 Crudeleis, dominos, graueis, tyrannos,  
 Saeuos, d'nuo Bogous, feros, rapaces,  
 Gaudemes nece, sanguinariosque,  
 Cyclopum simileis, acerbiores  
 Irato Phalari, Syracusana  
 Plus aula nocuos, cadaueroso  
 Regno Lestrigonum cruentiores.  
 Sed me nescio, quid magis molestat,  
 Ut nolim Venetos diu imperare,  
 Negant à Venetis fidem teneri.

VOTVM in morbo pedis.

Has tibi dona fero mundi regnator ad aras,  
 Quae dabo iam saluo prosperiora pede.  
 Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,  
 Sic tua nunquam Arabo templa sapore uacent.  
 Marte rapit Venetos dux Maxmilianus in hostes  
 Germanos pedites, & Calabros equites.  
 Non precor, ut morbo uiuam tranquillus abacto,  
 In bellum ist tanto sed duce miles eam.

MOR

## HVTTENICA.

MORTEM esse extremum omnium malorum.  
Verbum Caesaris haud redarguendum,  
Dignum hoc pectore, talibusq; gestis,  
Et uel Pharsalico amplius triumpho,  
Quo mortem statuit malis supremum,  
Finemq; omnibus & modum, dolori  
Optatam requiem. Fluunt ter octo  
Germani iuuenes, recente pugna  
In thermis Aponi (nefas) perempti.  
Nec iam crura dolent pedesq; ut ante,  
Cur querant Aponi calens lauacrum.  
Quod non unda dedit, nec ars, nec herba,  
Ut fiat lacero modus dolori,  
His tot mensibus, alteris tot annis,  
Mors una tribuit uiris in hora,  
Quod quisq; uidet, aestimatque secum,  
An quod Iulius haud putabit idem,  
Mors est terminus omnium malorum?

## IN VENETOS.

Haud dum omnes contempe aquilæ, ne Rana superbi  
Neu tibi sub Marco senileone place.  
Videris insubres Gallo licet auspice turmas  
Confringi, Heluetias interimiq; manus,  
Sæpe suus uictis redijt deus, aut ego fallor,  
Aut tibi Teutonica restat ab alpe malum.

## IN BARTHOLOMEUM DE VIANO DU cem Veneti exercitus.

Prospera si pugna est, iuras, si improspira, iuras.

B.



## EPIGRAMMATA

Ocia nactus idem Bartholomæe facis.  
Si uincis, iuras: iterum si labere, iuras.  
In castris iuras, in curia, inq; foro.  
Militiæ iuras, inter conuiuia iuras.  
Iuras in medio naufragus Oceano.  
Iuras arma ferens, iuras in pace togaq;  
Iuras, seu tractes seria, siue iocos.  
Si lux est, iuras: nox te iurante tenebras  
Inuehit, & suscis Cymbia fertur equis.  
Vndiq; cum iures, iurando dic mihi tandem,  
Quid non iurando Bartholomæe facis?

### IN EVNDEM.

Nulla est religio, seruasti fœdera nunquam,  
Contemerasti omnem Bartholomæe fidem.  
Moribus his si te durare impune uidebo,  
Quos colui, nullos esse putabo deos.

### ROBERTI Seuerinatis Epitaphium.

Robertus sub hac mole belliger cubo,  
Viator, ille Martius Dux Italum,  
Gerente quo rem, fortis Adria stetit.  
Peremptus idem patriæ spem sustuli.  
Germanus insolenter ausum me dedit  
Exempla Princeps posteris. Caue nepos.

### DE PERFIDIA Venetorum.

Miraris Venetæ Cæsar periuria gentis,  
Miraris toties fœderarupla tibi.  
Simpliciter nimium. Quid enim iurare sinebas?  
Quos iurat Venetus, non putat esse deos.

DE

## HVTTENICA.

### DE GRASSatura Venetorum.

Iam per Osopiacas Venetus Leo pascua rupes

Ibat, & in Carnis Illyricoq; legens.

Ibat, Amyclei quærens in fonte Timai,

Quis domet immanem raptibus in gluuient,

Præda Tridentino captata est ultima rure.

In primo fortis limine Teutoræ,

Cum populi Italiæ partum satis esse monerent,

Grassandi faceret nec tamen ille modum,

Continuo Boreæ surgens Iouis ales ab axe,

Horrenda in Venetas morte repellit aquas.

### DE VENETIS.

Passa sub Argiuo quæcunq; Agamemnone Troia est,

Quæ mala Pelleo sub duce Theba tulit.

Quæ Carthago potens, quæ bello pressa Corinthus,

Sæuitum in Solymas quo fuit igne domus,

Et qua Mimedæam prostravit clade Damascum,

Qui terris Scythico fulmen ab orbe ruit,

Qua rabie Turcus Bizanti perdidit urbem

Non metuunt Veneti, sed grauiora ferent.

### DE ODIO Venetorum.

Oderunt populi Venetos, odere Tyranni.

Quiq; procul, quiq; his proximiora tenent,

Excidium cuncti supremaq; fata precamur,

Regnantes nemo ferre potest Venetos.

Dispeream, tantæ quæ pondera sustinet urbis.

Si sua cum Venetis Doris amica manet.

### DE Pugna Mediolanensi in Venetos.

EPIGRAMMATA

Insubriae cecidere duces, ruit Helueta pubes,

Gaudet, & in patria Rana triumphat aquas,

Fer modicè, nec te nimium successibus effer,

Perpetuum non est hoc tibi Rana bonum.

Optima quæq; suum cito perficit hora tenorem.

Nuat in ambiguo fors malefida statu.

Cum uideas nihil esse diu, mutanda repente

Omnia, per uarias ire, redire uices.

Hoc potes euentu celebrem ductare triumphum,

Nescia quæ sequitur, quid ferat hora tibi?

Fer modicè, nec te nimium successibus effer,

Multa simul ueniunt læta, abeuntq; cito.

DE PRODITIONE per milites

Germanos Brixia.

Non capta est ferro, uerum auro Brixia capta est.

Perdidimus famam, perdidimusq; fidem.

Hoc de Germanis? aut cui metus ante subisset,

Ne quisquam hos populos proditione notet?

Perdidimus famam ciues, & turpiter ausi,

Omni bus externis fabula fœda sumus.

Dij perdant, facinus quibus hoc autoribus actum est.

Per quos hæc famæ nascitur improbitas.

Tu dominis Venetis, & auaro Brixia Marco

Germanorum hominum proditione subi.

Proh facinus, quid enim non dant hæc tēpora peius?

Perdidimus famam, perdidimusq; fidem.

DE CLADE à Venetis accepta.

Odisse Adriacas, sed non contemnere Ranas,

## HVTTENICA.

O socij rectè, qui monet, ille monet.

Dixi equidem: sunt & Venetis sua numina, Sors est,

Quæ uarias dubio circinat orbe uices.

Quòd dixi, risere uiri, quidamq; bibendo,

Clamabant Venetos se iugulare decem.

Hoc Venetos iugulare fuit? uel ab hoste tueri

Hoc fuit? ô uitam, somnia, uina, dapes.

Millia cæsa uirum, sumptis sine turpiter armis

Quatuor, ô uitam, somnia, uina, dapes.

IN pugnam Cremonensem.

Qui uolet attonitæ pugnam inscripsisse Cremonæ,

Vt breuiter cladi det titulum Venetæ,

Hoc potuit saluo decerpere carmen Homero,

ἐκ τῆς τοῦ Βατράχου ἀεικίας ἢ ἡρώδης.

IACOBI de Ems Equi. Ger. qui prælio

Rauennensi occubuit, Epitaphium.

Hospitis ad tumulum quisquis spaciare Sueui,

Desine propitios esse negare deos,

Postquam omnes Italorum urbes, patriæq; potentis

Implerat fama nominis, occubuit.

Pugnauit toties, nunquam non uicit in armis,

Hoc quoq; quo cecidit, tempore uictor erat.

Ne mortem accusa, neq; enim uitam abstulit, auxit,

Quin hæc si moueas, uiuere busta putes.

IN pugnam Cremonensem.

Bella, trophæa, uiros, pugnas, spolia, arma, necesq;

Non uacat Ausonidum commemorare patrum,

Cæsa Cremonenses patefecit ut Adria campos,

## EPIGRAMMATA

Persuasum est, uinci nil potuisse magis.

IN Pugnam Rauennensem.

Victori uictorq; dolor, rabida arma quiescunt.

Qui uicit, non sic uincere sæpe uolet.

Concurri sumptis quis uidit atrocius armis?

Telaq; misceri sanguinolenta magis?

Vnius haud populi pugna profudit in illa,

Roma suas utres, Illyriumq; suas.

Tum proceres periere Itali. Germana iuuentus

Amisit primæ robora militiæ.

Profligata acies Hispana, ignobile uulgus,

Rettulit amissis Gallia nobilibus.

Iulius una mali causa est, Respublica Christi

In sua crudeli uiscera cæde ruit.

A D. Rauennates.

Perdis opes, perdisq; uiros, dura omnia perfers,

Inunc, Pontifici plaude Rauenna tuo.

IN mortem Iacobi de Ems.

Quam prius ædiderat stragem fortissimus Heros,

Hanc super exhaustus sanguine procubuit.

Aspicias exangues iam nunc quoq; fremere uultus?

Pallentiq; truces feruere in ore minas?

Sic stratam ut tulerat, iam nunc etiam arma ferentem

Qui uidet, auertens hostis, ut ante timet.

[A D. Cæs. de profligatis Venetis.

Debat tibi nobiles Tyrannos.

Debat tibi fors uiros ducesq;

Inuidios animo feroce reges.

Cesta

## HUTTENICA

Gesta re celebri, potentiaq;  
Sublimes, tibi debuit triumphos  
De uirtute pari, sed ut ferebat  
Fortunæ fauor, atq; iniquus error,  
Quanquam est hoc aliquid, tibi relictum est,  
Dum punis Venetos superbientes,  
A lau dum modico decore tolli.

### IN Pugnam Cremonensem.

Ἐγὼ ὕβρισι βίητι σὶδ' ἤξευ' ὀυγαυὸν ἄξει,  
Et qui non homines, non timuere deos.

Hac Veneti seruare fidem de clade monentur,  
Ruptaq; profuso sanguine pacta luunt.

### BOMBARDÆ à Germanis pugna Raudannensi receptæ.

Gallorum tormenta sumus, Germanus ademit,  
Quōdam hosti uictor, nunc reddit uictor amico.

### OBSESSVS à Gallis cum salutem desperasset

Qui miserè natus miserabile transijt æuum,  
Sæpe malum terra sæpeq; passus aquis.

Hic iacet Huttenus. Galli nil tale merenti  
In fontem gladijs eripuerunt animum.

Si fuit hoc fatum uita torquerier omni,  
Censendum est rectè procubuisse citò.

Vixi equidem Musis, animum coluiq; per artes,  
Sed reor irato me studuisse deo.

Mens erat, arma sequi, & Venetum sub Cæsare bellū  
Verum alio bello concidi & hoste alio.

EPIGRAMMATA

Pauperiem, morbos, spoliū, frigusq; famemq;  
 Vita omni, & quæ sunt æperiora, tuli.  
 Recte actum, cecidi iuuenis miser, & miser exul,  
 Ne maiora feram, ne uidearq; meis.

TROPHAEVM Iacobi de Ems.

Mars genitor uolos Iacobus ductor honores,  
 Hæc tibi de fuis arma locat Venetis.

DE Venetis ad Cæsarem.

Ferebant Veneti nimis superbe  
 Fortunas patrias, suiq; census  
 Non euertibiles maris putabant,  
 Tanquam illis dea cœca semper aurum,  
 Semper diuitias rota faueme  
 Præsens accumularet, & quot annis  
 Deuictis noua regibus tributa  
 Vltro apponeret. Hinc furor minæque,  
 Hinc insania, pertinaxq; fastus,  
 Augebant animos ferocientes.  
 Hinc ille immodicus tumor suasit,  
 Reges spernere, despiciatuique  
 Germanum decus, & uiros habere,  
 Diuos atq; homines nihil uereri.  
 Ah nudum quoties & indigentem,  
 Exhaustumq; pecunia uocabant:  
 Ludo te Veneti salaciori,  
 Te diſteria, te leues cachinni,  
 Et saltatio & insolens theatrum,  
 Notabant, tibi mordicus prehenſo,

Inſo

HVTTENICA.

Infames tituli et notæ tributa,  
 Versa est tota retro beans uirago,  
 Et quæ iam Venetum ioca impudentum,  
 Hancq; in te petulantiam ferebat,  
 Rursum (ô tempora) deijcit premitq;  
 Nudos æris, & omnium carenes,  
 Solos, auxilioq; destitutos,  
 It lugens mala ciuitas, facitq;  
 Quos spreuit, superis suprema uota.

DE MVNERIBVS Venetorum.

Vt pacem obtineant, ut te in sua foedera ducant,  
 Omne genus Cæsar munera dant Veneti.  
 Hæc dare, surripere est. Si sumpseris, ô decus, ô laus,  
 Quæ tibi deuictis integra erant Venetis.  
 Dant tibi, quæ tua sunt, rapiunt tibi maxima ab hoste  
 Missa, uocare igitur quid licet? insidias.

IN PVGNAM Rauennensem.

Fas socij, malè uelle malis, odisse superbos,  
 Armaq; conari contra inimica manu.  
 At miserum est, sociale nefas, ciuileq; bellum  
 Miscere, & socia cladis amore trahi.  
 Vicimus, at nobis perit, & de sanguine nostro  
 Effusum est, quicquid perdidit ista dies.  
 Atq; hoc seruitum est iterum tibi Turca triumpho.  
 Quod nisi letaris, non sapis, at sapis hoc.  
 Te felicem igitur, cui quos tu perdere uelles,  
 Ipsi intestino perdimur exitio.  
 Victor oua, compos uoti, suspende trophæum,



EPIGRAMMATA

Nam sine cæde tua uicimus ista tibi.  
 Mutuum in interitum pastoris ouilia Christi,  
 Nedum hæc ille lupus perderet, ipsa cadunt.  
 Erratum est socij. Tum si quis gaudet ab ista  
 Cæde, suo latum se sciat esse malo.

AD CAESAREM.

Senserunt Veneti, quæ sint ea somnia Cæsar,  
 Quæ modo dicebant perpetua esse tibi.  
 Tantorum sopor his igitur fuit ille malorum  
 Causa, quod hanc requiem non uoluerit pati.  
 Fallaces oculi, & simulantia lumina somnum,  
 Quo (miserum) Venetos perditis exitio.

DE Pugna Rauennensi.

Sparsa Rauennates semiobruta membra per agros,  
 Quæq; sit esca auibus, quæq; sit esca feris.  
 Diuersorum hominum manante cadauera tabo,  
 Corporis Hispani hoc, corporis hoc Veneti.  
 Germanorum alibi iuuenum carituræ sepulchro  
 Ossa, uidet quisquam & temperat à lachrymis?

AD Cæsarem de uictoria Cremonensi.

Ulte nefas Venetum, scelera ulte insignia Cæsar.  
 Confer in accensos thurea dona focos.  
 Gratas redde preces, æquo cadat hostia Christo.  
 Qui te, qui patriam seruat, & imperium  
 Qui Venetas tibi fregit opes, spem gentis auaræ  
 Sustulit, in miseros deposuitq; metus.  
 Sacra deo primum fac sospes, deinde triumphæ.  
 Lætæq; uictrici fige trophœa manu.

Tum

## HVTTENICA.

Tum uos *Cæsareæ* quibus est cura illa salutis.

Hic pia ferte deo munera, ferte preces.

DE prælio Cremonensi.

Prælia Mantoo dare carmen idonea uati,

Materia insigni iustaq; Mœonidi.

Res Venetum quibus aucta tenus fuit, omnipotente

Fortuna gratas usq; mouente uices,

Heu quantum fregistis opum. Quæ copia per uos

Ex illo rerum flore senescit inops.

Nubila felici duxistis quanta sereno,

Scilicet hac Venetum res fuit aucta tenus.

DE EODEM.

Parte uidet Venetos conflictu Crema sinistro

Hac cadere, atq; illa parte Cremona uidet.

Dat specimen fortuna sui, dant numina signum,

Heu nullam humanis rebus inesse fidem.

AD Venetos de pugna Cremonensi.

Cæsareos soliti petulanter carpere somnos,

Cunctantisque moras uertere in opprobrium,

Desidiam nobis Veneti obiecistis, et illam,

Nobis hausa, uobis quæ nocuit, requiem,

Ociâq; et lusus, quando inter uina supinos

Dixistis populos degere Teutonicos.

Verba animos mouere uirum, risusq; superbi

Soluimus infamis ocia desidiæ,

Soluimus o Veneti somnos, uigilamus abactis

Lusibus, in uestras sed uigilamus opes.

Iamq; etiam euentus docuit pugnare supinos.

Scire

## EPIGRAMMATA

Scire, & cunctantes rumpere posse moras

DE fortuna Venetorum.

Qui nuper terris Veneti quicq; omnibus undis  
Imperium, & leges imposuere nouas,

Qui uicere duces, traxere in uincula reges,

Et freno populos continuere feros,

Quorum opibus nil maius erat, quorū urbe superbis

Ilion inferius, sordidiusq; fuit.

Et qui iam secum tumidi caput orbis agebant,

(Quid non immutant tempora?) sunt miseri.

DE erumnis Maximiliani.

Quos facit excelsos, cogit prius omnia uirtus,

Quaedam etiam, quae uix sint adeunda, pati.

Quae si lance suis quicquid dat, ponderat aequa,

Et quantus labor est, praemia tanta refert,

Nemo maior erit, nemo te aequabit honore,

Nam qui pertulerit tot mala, nemo fuit.

DE immodestia Venetorum.

Concessit Venetis maxima Iupiter,

Terras, & peregre diuitias maris,

Europae in populos, perq; Asiae sinus,

Ingens imperium, regnaq; fortia.

Atq; haec si libeat ferre modestius,

Dixisses etiam plus nimio satis,

Sed magnas quia res magna superbia

Tranquilli impatiens desuper abijcit,

Rursum aufert Venetis omnia Iupiter.

DE fortuna ad Caesarem.

Nuper

## HVTTENICA.

Nuper uirtuti fortuna inimica furebat,

Quantis ut posset uiribus officeret.

Ergo ut te totum pessundaret, ocyus *Mama*

Fromi aptasse ferunt cornua bina suae.

Tu uirtute tua mixus, de fronte reuellis

Cornu aliud Gallos, cornu aliud Venetos,

DE IMPRUDENTIA Venetorum.

Quisquis exemplo Veneti senatus

Non feret letam & laci de quietem,

Ducat exemplo Veneti senatus

Tristia fata.

DE FATIS Venetorum.

Tabula mota recens Italas conterruit urbes,

Atq; illam Veneti composuere patres,

Scilicet, ut si quid foret infeliciter actum,

Hæc moestum attonita pellet ab urbe metum,

Esse quid in fatis, quod Cæsaris arma moretur,

Atq; illos iubeat orbis habere caput.

Germanas Aquilas Veneto succumbere Marco,

Summaq; in Adriaco regna futura fredo.

Terribiles etiam clades, cædemq; minantur.

Quæ cum aliquis credat, non eget Helleboreis

DE fortuna Venetorum.

Regina fluctuantis hæc maris potens,

Modo superbia tumens, & ebrio

Sufflata cultu, bella, delicataq;

Amabilis, spectanda, florido statu.

Huberta cui suere cuncta, quæ suas

lactas

## EPIGRAMMATA

Iactabat immodestius opes, nigro  
 Sedet paratu lachrymans, nec ut prius  
 Superbit, ora squallido situ oblita,  
 Genæ nec ut solent tenellulæ, nec est  
 Venusta frons, cessit potentia suæ  
 Throno, sedetq; languidum nullo caput  
 Nitore continens manu, solo cubans.  
 Putauit hanc sibi haud ineptam fors, iocos  
 In qua æderet suos, & orbi illuderet,  
 Quid non tibi licere credis Antias?  
 Quæ non soles miscere suprema infimis?

### AD BONONIENSES.

Tu nunc Sequanicos mirata Bononia Francos  
 Omnibus acclamas pompa obeunte uijs.  
 Plaude quidem, pompamq; noua uictoribus istis,  
 Et dominos Gallos fer, dominosq; uoca,  
 Verum alios Francos alio Germania plausu,  
 Heu uereor, ne te non cupiente dabit.

### DE Conuentu Bononiens. ad Italos.

Quid te adeo genus acre uirum, quid te Itale pugnas  
 Hi passim plausus, istaq; pompa iuuant?  
 Non quorum adspirat primo fortuna labori,  
 Continuò inuicti roboris esse puta.  
 Fregerit Heluetias Germano milite uires  
 Gallus, ab imperio Sfortia deciderit.  
 Ast ego uenturi uates ero, credite uati,  
 Cum ueniet Cæsar, omnia Cæsar erunt.

### DE FORTVNA,

Huc

## HVTTENICA.

Huc nunc huc oculos patentiores  
Et mentis graue dirigant acumen,  
Reges, & populi ducesq; rerum.  
Cum Gallis Venetos super bientes,  
Contra non nihil insolenter ausos,  
Oblitosq; sui, suaeq; sortis,  
Vicit Caesar, & ad nihil redegit.  
Quis nunc fortuitos opinione  
Amplexabitur exitus sequaci?  
Aut quod fors dederit, ratum putabit?  
Quis nunc diuitias potentiamq;  
Vt certum feret, ut suumq; ducet?  
Fortunæ uagus est, leuisq; nutus.  
Incertus fauor, & rotæ minacis  
Incomprehensibile & citum uolumen.  
Huic magnam Veneti fidem dederunt,  
Hanc semper solito uenire Gallus  
Cursu credidit, & tenore coepto.  
Verum hæc uersare irò sefellit ambos.  
Et quos sustulerau fauens in altum,  
Rursum deprimat inuidens ad inum.  
Fortunæ instabile est uagumq; numen,  
Virtus quos habet efficit beatos,  
Et si quid dederit, uetat reuelli.  
Cui fidens animo nihil timente,  
Votis omnibus, exitus in omnes,  
Terrarum caput, ad nihil redegit  
Cum Gallis Venetos super bientes.

DE

## EPIGRAMMATA

DE Fortuna ad Caesarem.

Tarda quidem, sed optima tibi fortuna resultat,  
Quae ueniunt cupidis sera, tamen ueniunt.  
Iupiter ille tuus tibi dum bona temperat astra,  
Quiddam à Saturno, ne cito det, patitur.  
Impediat licet ille, tamen melioribus astris  
Sunt tibi uel media fausta parata mora.  
Sidera promittunt meliora, quid ambigis? an non  
Tardior ad uotum est optima quaeq; dies?

DE Gallo & Caesare.

Omnia sunt Galli, contra petit omnia Caesar,  
Ille quod est, fruitur. hic quod abest, inhiat.  
Fac ludos; fortuna aliquos mutata repente,  
Caesar ut haec habeat, Gallus ut haec cupiat.

DE ITALIA.

Victores paulò ante penes fors prospera Gallos  
Cum foret, in Latio fabula Caesar erat.  
Vertit se fortuna retrò, Germania uicit,  
Confestim Gallus displicet Italiae.  
Nescio quid sperem, certè quid dicere possent,  
Mobilis Italia est, nobilis ante fuit.

DE FORTVNAE mobilitate.

Sorte sub ambigua deuinctus uertitur orbis,  
Inq; uicem redeunt candida & atra dies.  
Imus ad arbitrium fortunæ luminis orbæ,  
Ad uentum exposita uertimur inq; rota.  
Omnia dant casus, adimuntq; ita uertitur ordo,  
Si tamen est ordo, cuncta regi temere.

Vidē

## HUTTENICA.

Vidi ego regnantes Venetos, seruireq; uidi,  
Sublimesq; iterum uidi, iterumq; humiles,  
Paruum intra spacium, nec multos temporis annos,  
Vsq; adeo uariat fors, uariatq; cito.

QVOD Fortuita facile mutantur.

Aris eget Cæsar, numeratum possidet aurum  
Gallus, & est auro florida res Venetum.

Hostibus addit opes motu fortuna secundo.

Virtutem nobis cædit & arma deus.

Stat quisquam, & casu mentem desigit in illo,

Euentum dubiæ nosse cupitq; rei.

Et dum Sidonio Gallos miratur in ostro,

Et Tyria Venetos murice obire uidet,

Paupere continuo spem totam à Cæsare ducens,

Sub dominis Gallo fert Venetisq; iugum,

Quos ubi contundi nostris rursus aspicit armis,

Teutonicas iterum pronus adorat opes,

Nimirum sapiens, nam quod fortuna dat, aufert,

Non hisdem uicibus datq; adimitq; deus.

DE EADEM.

Quem dederat fortuna apicem, si quando reuellit,

Non sibi præstandam commonet esse fidem.

Sunt hanc usq; tamen, qui demirentur, & omnem

In cæca ponant spem uariaq; dea.

DE FORTUNE ludibrio.

Erexit Fortuna rotam (sic perdita mundo

Illudit, quoties hanc iuuat esse leuem)

Erexit circum attoniti regesq; ducesq;

C



EPIGRAMMATA

Ante uagam moesti stant hilaresq; deam;  
 Illa uiros durare iubens, spe mulcet inani,  
 Ambiguū axe mouens orbem, iterumq; mouens.  
 Aeternum facit hoc, nec adhuc tamen implet hiances,  
 Dum saepe à summo mutat ad ima loco.  
 Dum nunc afflat opes, dum nunc subuertit honores;  
 Dum fouet immeritos, attenuatq; bonos,  
 Dumq; onerat curis, & sollicitudine uexat,  
 Ultra omnem fallax expatiata modum.  
 Sic aptam, tamen esse aliquid, numenq; putamus,  
 Hunc fucum nostris obliuit hæc oculis.

DE IMMEDIATE Venetorum.

Concessa est Venetis efferto copia cornu,  
 Plausibus extemplo læticiaq; fremunt.  
 Cæsaris arma agili si quid fortuna rotatu,  
 Euexit, planctu tristitiaq; iacent.  
 Usq; adeo fortuna nihil moderabile suadet,  
 Oblitosq; sui quos regit esse facit.

AD FORTVNAM.

Quem finem fortuna facis ludiq; iocique?  
 Aut uariam in nobis, qua iuuat esse tenus?  
 Cum premeres, imo Venetos & in axe locares,  
 Vidimus imperij luxuriantis opes.  
 Res illis rursus facis, ut contingat abunde,  
 Præcipitiq; leue: Cæsare ad alta uocas.  
 Conuersis iterum radijs, mutata repente,  
 Rera nostram, & lætum prouehis imperium;  
 Quod licet aduoluas uehementi nixa rotatu,

ipse

## HVTTENICA.

Ipse tamen didici non tibi habere fidem:  
Et uideo nostras inter res quid sit, & illas,  
Quod nos ut cupias non uariare potes:  
Nempe usus rerum nobis patientior, illi  
Assueti cum sint tristia ferre minus:  
Si cui res igitur nimis affluxere secundas,  
Ordine mutatas ægrius ille feret.

### DE Mundi gubernatione.

Est cælum, atq; illic superi qui humana tuentur?  
Aut aliquos usquam credimus esse deos?  
Vel si quis diuûm est usquam, mortalia curat?  
Aut adeò superis conuenit esse leues?  
Certè quicquid id est, quod numen habere putamus  
A quo persuasum est inferiora regi,  
Instabile, infidum est, uarium, mutabile, fallax.  
Quodq; nocet temere, quod temereq; iuuat.

### INSCRIPTIO Gallici clypei ad Aquilam.

Quos tãdem in populos, aut quò se hæc lilia pãdent?  
Aut quas hic serpens inuoluetur opes?  
Inspice res. Aquila, tibi luditur, erige pennas,  
Nunquam cura tibi maior habenda fuit,  
Effice cristati marcescant lilia Galli,  
Et sit, qui Serpens debuit esse tuus.

### DE GALLO ad Aquilam.

Ambitionis agrum circumuolitabat aperta  
Gallus, ut hinc auido carperet ore cibum.  
Visa est imperij species quasi rege uacantis.

## EPIGRAMMATA

Inuasit totis uiribus impar onus.  
 Nunc etiam attendit mentem, & defixus inhaeret.  
 Et studijs summas omnibus ambit opes.  
 Rectè, habet ingenium. Tu quid regina uolucrum?  
 Non hoc esse tuum, quod rapit ille, doces?

AD GALLVM.

Quo tibi Galle amor hic regnandi, atq; ista cupido?  
 Quin moderare animi uota, tenesq; modum?  
 Non potes ut cupias, Aquilam superare uolando,  
 Quantumcunq; alas contrahat illa suas.  
 Sape moras patitur, quæ cum properare necesse est  
 Tardè abeat quanquam, uertitur ante tamen.  
 Scilicet ut possis alios ita uincere Gallos,  
 Et generis uolucres istius ante uoles.  
 Contra Aquilam nihil est, quo tu merearis honore,  
 Ut folio cingas uel breuiore caput.  
 Par Aquilæ fieri despera, haud uincere tantum,  
 Vsq; adeo pennas anteit illa tuas.

AD Gallum de Cæsare.

Quo sit nostra loco res, Galle audire laboras?  
 Recte habet, & placido est tota quæta statu.  
 Quid faciat Cæsar? tibi tantum irascitur aio,  
 Atq; unum id patitur, cætera lætus agit.  
 Lilia plus æquo tua nempe excrescere uidet,  
 Teq; ala nimium luxuriante uehi.  
 Proinde quid è folio decerpere cogitat illo,  
 Quem te intra teneas, constituetq; modum.

AD Aquilam de Gallo.

Ccr.

## HVTTE NICA

Cernis ut Insubres migrarit Gallus in urbes?  
Vt Mediolanum possideatq; tuum?  
Cernis opes italas hostilem inuadere Francum,  
Quo tibi dotales eripiantur opes?  
In te suspensas oculisq; animisq; tot urbes?  
Auxilium populos totq; uocare tuum?  
Tolle leues Aquila pennas, Gallumq; coërce,  
Iam tua nulla quies suspicione caret.  
Tolle Aquila has pennas, opus est torpentis in illo  
Cunctari factò, desidiamq; pati.  
Pande alas regina auium, Gallosq; coërcens  
Desidiæ somno concita quære fugam.

### AD GALLVM.

Pone modum, rebusq; tuis, animiq; furori,  
Et quæ te supra est, ambitione uaca.  
Vt Latium, quòd aues habeas, urbesq; Latinas,  
Et tibi Germanum pareat imperium.  
Tu tamen inferior, quam ut possis ista tenere,  
Quæ tentas, tergum hoc pondera ferre nequit.

### AD EVNDEM.

Galle cupis Latij, & Romæ dominator haberi,  
Regiaq; imperij munera Galle cupis.  
Accipe, & ad tempus nostris te insignibus orna,  
Adde Aquilæ pennas, hac patiente, tuis.  
Quæ si quando suas repetitum uenerit alas,  
Quos tu tunc risus nuda mouebis auis?  
Desine cornicis furta ostentare periclo,  
Emergit, sua quæm, non quem aliena probant.

EPIGRAMMATA

AD CAESAREM.

Iam tua turbatum navis conscendit in aequor,  
 Ista procelloso discutiturq; freto.  
 Circum Euri Boreaeq; fremunt, circum omnia Caesar,  
 Si qua solent medio terricula esse mari.  
 Heu portus invade cito, ne dum occupet alter,  
 Excludare uago naufragus Oceano.  
 Ecce subit Gallus, et uento uela secundo  
 Expedit, ipse moram dum trahis, ille subit.  
 Heus, age rumpe moras, invade, occasio Caesar  
 Impatiens omnis optima quaeq; morae est.

GALLI iactatio.

Pinguè mihi lucete foci, mea lilia florent,  
 Victima Fortunae concidat ista triplex.  
 Gallus ait, sacroq; ardet altaria fumo,  
 Nunc mihi sus, nunc bos, nunc cadat agna mihi:  
 Ille modo captus, capto patre ducitur Anguis,  
 Insuores parent, Coenomaniq; mihi.  
 Ianua paret, opes Ligurum, Alpinosq; subegi,  
 Tam late populos, Italianq; premo.  
 Fortunae, sed optima mea cadat hostia dextra,  
 Ultima spes, orbis imperium superest,  
 Dum iactat, cristamq; leuat porrectius aequo,  
 Ista audire potes? ferre Aquila ista potes?  
 Quin acuis rostrum, passosq; exurgis in ungues?  
 Et Gallum attacto pellis sub imperio?

AD GALLVM DE Fortunae

mutabilitate.

M. 10

## H V T T E N I C A

**M**ulta cupis, Fortuna tibi cum plurima donet  
 Galle, nec hinc modus huic, nec inde modus tibi,  
 Debes ipse tamen fortunam nosse, ferendo  
 Plurima, saepe nocet, dum ratio omnis abest.  
 Ipsa quidem caeca est, ut cui det, nesciat, et quid  
 Nescit in euentum quem tibi donet item.  
 Ecce autem, quae sunt mutantia tempora casus,  
 Lilia quam possunt ista uirere diu:  
 Friuola Fortuna est, tempus mutabile. Certè  
 Gloria sit quamuis magna, caduca tua est.

A D Cæsarem de Gallo.

**A**spicis Italiam tumidos concerpere Gallos?  
 Liliaq; ad longum sparsa uirere Padum,  
**A**spicis infestas diris populatibus alpes,  
 Germanasq; urbes imperiumq; peti.  
 Ut te, ut nos serues, non expergiscere Cæsar?  
 Rapta tibi et dextra uindice, ab hoste rapis?  
 In medios dormite dies, ferte ocia segnes,  
 Tu facta, atq; opus est, maxima Cæsar adi,  
 Maxima adi, quo se longum diffundat in æuum,  
 Fama tua, extremos rerum adeatq; dies.  
 Aut si fama nihil, nihil hæc te gloria tangit,  
 Ne tu, ne totum hoc, quod superest, pereat.

A D C A E S A R E M, ut contem-  
 ptum sui uindictet.

**F**actus es altiuoli opprobrium miserabile Gallo  
 Itala sunt risus plena theatra tui.  
**C**æsareæ spernuntur opes, spernuntur honores.

EPIGRAMMATA

Somnus Teutonicas fertur habere Aquilas,  
 Germanos uina inter opes consumere, et æuam,  
 Venando patrium te peragrarè nẽmus,  
 Germanam peregrè uirtutem habitare, tuisq;  
 Arma, uirosq; iam nunc urbibus esse negant,  
 Quod tu non aliquas auscultans induis iras?  
 Vlcisci ut famam hanc, opprobriumq; uelis?

GALLOS superare nos gloria,  
 ad Cæsarem.

Verũ equidẽ fatear Cæsar, quãquã haud ita gratũ est  
 Gloria Gallorum est maior honore tuo.

Nulla tamen tua culpa inibi fortuna iocatur,  
 Dumq; premit Gallos, te facit esse leuem.

Aut operatur Ate factum istud Homericæ totum,  
 In quemcunq; cadat culpa ea, nulla tua est.

Quicumq; iste deus tamen est, nisi fers malè sponte,  
 Tam facile hæc abiges, quàm facile ille dedit.

Magnum a deo incepti momentum est, incipe Cæsar,  
 Vt famam hanc abigas, ut pariasq; decus.

Q. V A M periculosa res imperium,  
 ad Gallum.

Imperium nescis quàm sit mala bestia Galle,

Quod si fortè scias tantopere istud agas?

Nusquam a deo fortuna leuis, lasciuaq; nusquam est,  
 In nulloq; fuga est mobiliore loco.

Iam me Galle audi, Qua surgere contigit istuc,

Omnia ni fallant, hæc ratione cades.

Nulla diu potis est durare superbia Galle,

## HVTTENICA.

Hoc moneo, quoties tu nimis alta petis,  
Iam tua mens nimium sublatam concita cristam  
Erigit, interq; has læta triumphat opes.  
Certè oblita sui. Quid enim si lilia, quæ tam  
Nunc florent, sicco stipite flacca cadant?  
Omnino ambigui casus, mutabile tempus.  
Multa aquilæ uirtus Galle, minorq; tibi.  
Parcius hæc cupiens, te comrahe, quinetiam (audis?)  
Cæsare sub domino Galle fer imperium.

### DE Gallo superbiente.

Hæc ceruice tumens, & uersicoloribus alis,  
Quæ crista imperium despicit omne rubra,  
Quæ mediocre nihil, nihil & moderabile secum  
Voluit, & immensas concipit ales opes,  
Æmulâ regnæ uolucrum, nimis alta uolutans,  
Quæ cælum pennis nititur ire supra.  
Si quicquam feret his olim successibus impar,  
Quos risus nobis lapsa mouebit auis?

### DE Gallo & aquila.

Nuper sydereas Gallus transcenderat alpes,  
Terruit Italicos bellua torua duces,  
At mediolano postquam consedit in angue,  
Conflauit magnos crista superba metus.  
Nunc etiam Veneti depastus membra leonis,  
Omniaq; Adriacum nactus adusq; fretum,  
Successu nimium fortunæ elatus opimæ,  
Aggressusq; suis uiribus impar onus,  
Ausus ubi est Aquilæ nec opimas neetere fraudes.



EPIGRAMMATA

Et pactum sociæ rumpere foedus aui,  
Rursus ad Insubres lacero redit agmine montes,  
Imunc, atq; ultra, quam decet esse, para.

AD Maximul. Sfortiam restitutum.

Sfortia progenies, istis dignissime rebus,  
Quæ tibi se lapsa restituere patre.  
Sfortia progenies, quem post tria lustra recepit,  
A quo dispulerat sors recidua loco.

Gratulor eiecto tibi se committere Gallo,  
Insubriæ populos, Coenomanosq; tuos.  
Tendere in occursum reduci, matresq; uirosq;  
Qui graue Celtarum deposuere iugum.

Ereptas gaudere urbes, animosq; tuorum  
In te defixa spe, posuisse metum.

Et nunc ille uagas disperso milite turmas  
Bellicaq; infenso numine castra trahit.  
Cæsareasq; Aquilas per non remeabile cælum,  
Cæde uaga trepidum conficiente fugit.

Da ueniam fortuna uiris, qui te omnia nuper  
Miscere, absq; ullo diximus arbitrio.

DE Gallo ex Italia fugiente.

Cur nunc ille fugit, demissisq; ambulat alis  
Gallus, tot populis qui modo terror erat?

Cur lacero tergo fugienti, atq; agmine paruo,  
Languida funesto sanguine crista madet?

Nempe quod antetulit tranquillis turbida rebus,  
Supra Aquilam pennis ausus abire suis.

Senferat illa dolos & cum iam multa tulisset,

Rapta

## HVTTENICA.

Rapta laceſſitis unguibus arma tulit.

Quisquis habere hoſtem ma uult, quem poſſet amicū,

Si ruat hic, dicas omnia digna pati.

DE tempeſtate aëris turbulentiffima, in

Gallorum fuga ꝑ totam Inſubriã orta.

Nunc ego te ſolum Gallis intendere uellem,

Conſortemq; iræ non habuiſſe tuæ.

Nunc ego te uellem fugientia in agmina Caſar

Non niſi mortales exeruiſſe manus.

Namq; ubi lenta tuæ uifa eſt clementia pacis,

Iratum Gallis ſenſimus eſſe Iouem.

Ignem micat cælum, quatiuntur fulmine montes,

In ſata tempeſtas hæc fūrit, inq; domus.

Horridus it terris lapidoſa grandine nimbus,

Quoq; illi fugiunt, omnia uentus agit.

Uellem quos decuit, uel qui meruere periſſent,

Aut ſaltem dignos plecteret iſta lues.

Nunc paſſim Italicas immiſcuit illa ruinas,

Et ſocios poenæ Galli habuere ſuæ.

Per Ticine tuos, per quos ſecat Abdua campos,

Iugera per Trebiæ conſita, perq; Pado.

Imbre iacet contuſa ſeges, nec grandinis huius

Impetus innocuus frugibus ille fuit.

Conſtitit hoc tanti, ſceleratam expellere gentem,

Nec ſine communi eſt poena reperta malo.

Quòd tamen hi fugiūt, quodq; his regionibus abſunt

Quæ data ſunt faciet damna dolenda minus.

Nam neq; nunc ſactas quiſquam ſe armabit in ædes,

Et.

EPIGRAMMATA

Et spolijs ipsos sæuiet ante deos.  
 Fœda nec innuptis metuentur supra puellis,  
 Securumq; prement fœmina uirq; thorum.  
 Tum quia tu pugnas, iustamq; exurgis in iram,  
 Non ultra in Gallos sæuiat ira Iouis.

DE EADEM.

Postquam pacta leues ruperunt fœdera Galli,  
 Cœcaq; fraudato Cæsare bella gerunt.  
 Signa dedit tellus, signum dedit arduus æther,  
 Ultiores rupti fœderis esse deos.

AD Maximil. Sfortiam Mediol. Ducem.  
 Effera crudelis refugata potentia Galli,  
 Hactenus amissum fleueris orbe patrem.  
 Casus ulte tuos, captiuumq; ulte parentem,  
 Aggredere ereptas Sfortia uictor opes.

DE Pugna Nouariësi laus Ioachimi de  
 Moltzhan Eq. Ger. cuius ea præci-  
 pua uirtute confecta est.  
 Nunc lauris hederas, hederis connectite lauros,  
 Et gemino meritum cingite honore caput.  
 Spargite humum folijs, manibus date lilia plenis,  
 Cum uiolis molles accumulate rosas.  
 Plaudite seruati ciues, clamate triumphum,  
 Et stata propitijs soluite uota deis.  
 Germano iuueni quos non debetis honores,  
 Auspice quo tantas Gallia perdit opes?  
 Solus hic Insubres tibi Sfortia reddidit urbes,  
 Solus ab indigno rettulit exilio.

Idem

## HVTTENICA.

Iam desertus eras, iam nil superesse uidebas,  
Consuleres rapida ni tibi fortè fuga.  
Ille subit, motaq; trahit tot milia ab alpe,  
Teq; iubet refugum cum pede ferre pedem.  
Quid faceres? Hinc spes urget, timor inde coërcet.  
Donec ab ancipiti liberat ille metu.

Vix primæ Gallorum acies uidere ruentem,  
Nudantur turpi terga suprema fugæ.  
Vidisti hostiles medium turbare cohortes,  
Atq; ea uisa graueis restituere animos.  
Quos nisi sic faciat, nisi consilioq; manuq;  
Te iuuat, hic potuit ultimus esse dies.  
Ingredere ô, factisq; tuis dignum accipe munus,  
Teq; triumphali fer Ioachime rota.  
Hoc tibi seruati decernunt cum Duce ciues,  
Laudet, amet prolem Saxonis ora suam.

### DE VIRIBVS Gallorum.

Cum ductore ageret bellum sub Cæsare Gallus,  
Fortis, & horribili Marte timendus erat.  
At postquam ex causa discessit uterq; seorsum,  
Naufraga sublato cortice fertur auis.  
Nec uolat absq; alis, nec imit sine cortice flumen,  
Nec uim seiuncto Cæsare Gallus habet.

### AD MAXIMIL. Sfortiam.

Ne iuuenis demitte animum, ne cede periclo,  
Ne sine te primo turbine destitui.  
Transfeat hostiles ardente Triuultius alpes  
Agmine, in aduersum Gallia tota ruat.

At

EPIGRAMMATA

At tibi se Cæsar, tibi se Germania fido  
Ne modo desperet obtulit auxilio.

DE Cæsare & Gallo.

Arma gerens multas Gallus perterruit urbes,  
Commoti Gallum Cæsaris ira fugat.  
Tantum aliquid Gallus igitur ualet, & breue tēpus  
Omnia subiecto Cæsar in orbe potest.

AD GALLVM expulsū Italia.

Ne tibi turpe puta, nec sit tibi Galle pudendum,  
Quòd nunc Cæsareo cesseris imperio.  
Quos poteras, armis uicisti, ea gloria magna est,  
Contra summa potest Cæsaris arma nihil.  
Tum si debueras uinci, solatia præstat.  
Quòd te qui uicit, maximus ille fuit.

DE CAESARIS magnitudine.

Bella gerunt Reges, quoties sua causa laceffit,  
Non nisi quod magnum est, uincere Cæsar amat.  
Tunc cum parus fuit, nec tanta potentia Galli,  
Quāquam hunc cur posset tangere causa foret,  
Tangam ait, at postquā est nacta ista superbia summū,  
Nunc quota uenturæ portio laudis erat?  
Degeneres animi contra imbecille feruntur,  
Non nisi quod magnum est, uincere Cæsar amat.

AD MAXIM. Sfortiam.

Sfortia pone metum, contempto exurge periclo,  
Heluetium peditem fert Iochimus Eques.  
Pugnandum est, pauidos tu pande Nouaria muros,  
Ex te etenim Gallis illa procella ruet.

Perdi

## HVTTENICA.

Perdideras patrem, seruibis strenua natum,  
Vertit enim facilem fors recidiua rotam.

AD IOACHIMUM de Moltzhan.

Cui datus es miles bello, dux factus eodem es,  
Vidit & armari, & uincere tempus idem,  
Dux Tyro, confestim uirtus maturuit in te,  
Quid mirum? summis hæc uenit ante diem.

DE GALLO Italia pulso.

Testis erit Gallus, paulò ante insigniter ausus,  
Non esse in dominos arma gerenda deos.  
Nam cum ultra uires quiddam tentaret, ab illo,  
Quem se sperarat uincere, uictus abit.  
Tanquam aliquid sese indignum fortuna tulisset,  
Primum illi uicto repsit in ora pudor.  
At postquam cura ratio mentem egit ab illa,  
Altius est casus intuituq; suos.  
Arma tuli temere, quoties irascitur, inquit,  
Numen habet Cæsar, numine uincor ego.

AD Maximil. Sfortiam.

Sanguine nunc Ticine rube, nunc sanguine Larè  
In face Teutonicas cæde fluente rates.  
Qua fugunt Galli, si non tenet omnia miles,  
Claude uiam cæpti Jupiter effugij.  
Hæc aliquis, iusti superos mouere precatus,  
Grassati in Gallos dijq; hominesq; simul.  
Nunquam ita terribili luxerunt fulgura motu,  
Turbauit sumptum turbidus imber iter.  
Sfortia progenies, pro quo mouit omnia mundus.

Exult.

## EPIGRAMMATA

Erumanosa patris desine fata queri.

AD EVNDEM de Francisco patre.

Tam poterat uixisse diu, superesse tot annos

Sfortia, præscisset si tua facta parens.

Nunc dolor, & rapti mala desperatio regni,

Heu misero uegetos comminuere dies.

Discite mortales rebus proferre caducis

Spem longam, & nullis cedere sponte malis.

AD REGES terrarum.

Qui Gallum Reges uinci Venetosq; uidetis,

Inuito monitu Cæsare habete nihil.

Si quis enim uestrum tantum irritauerit hostem,

Non poterit summis uiribus esse satis.

Maxima res Venetum, res maxima credita Galli est,

Atq; hos coniunctos sustulit ille simul.

Iam si quis sumptis bellum experietur in armis,

Frustra spem sera collocat in uenia.

DE MAXIMIL. Sfortia.

Cœnomane gaudete urbes, Insubria gaude,

Et gratare tuo libera facta duci.

Respexit fortuna graues miserata querelas,

Quod quondam abstulerat, restituitq; bonum.

Da ueniam periisse patrem, complectere natum,

Spem patriæ, & tanti reliquias generis.

At tu inferne parens, isto gauise triumpho,

Elue Sequanici carceris opprobrium.

DE INGRESSU Cæsaris in Italiam.

Castra quod Insubres penetrarunt Cæsaris urbes,

Quod

## HVTTENICA.

Quòd Trebiam, quòd iam transijt ille Padanus,  
Mota quòd iratos fundit Germania Rhoetos,  
Sæua quòd in Latium promouet arma Lycus,  
Franca quòd Ausonijs, se miscent agmina turmis,  
Itala Teutonicas quòd uidet ora manus.  
Non tu Roma time, uerum arripe lætius omen,  
Non nisi qui nocuit Cæsaris arma timet.

### IN PICTVRAM de Cæsare.

Nuper retrogrado quidam te insidere Cancro  
Pinxerat, hoc titulo: Tendimus in Latium,  
Hoc quid erat, nisi quod cupias, nec uincere possis,  
Et quoties aliquid cœperis, ire retrò?  
Sed pictura fuit, contrà res uera secuta est,  
Pro Cancro tellus Itala uidit equos,  
Vidit equos, uiditq; uiros, nos te auspice Cæsar  
Non iam retrogradi tendimus in Latium.

### DE GALLO fugiente.

Ille ardens animi, feroxq; Gallus,  
Gallarum aliquot salax maritus,  
Nuper purpurea nimis superbus  
Crista, multicoloribusq; plumis,  
Torta quàm caput altiore cauda,  
Collo splendidus aureo monili,  
Flagrans undiq; lilio uirenti,  
Qui gentes Italas nouum stupentes,  
Ad raptum, impete terruit citato,  
Nunc languens animi, albicante crista,  
Plumis deficientibus, trahensq;

D



## EPIGRAMMATA

Caudam ponè, suas fugit relinquens  
Gallinas, sua lilia, & sua arma.  
Dic Fortuna, uel ipse rectius dic,  
Quid te Galle tibi abstulit repente? aut  
Quò tandem ille animi uigor resedit?  
An qui somnia dormiebat alta,  
Per te est excitus, irruitq; Cæsar?

### DE VICTORIA Cæsaris ad- uersum Gallum.

Vicinus, & Latio Gallos deiecimus armis,  
Ut iuuenis nostra Sfortia regnet ope.  
Vicinus, ille fugit, qui nos paulò ante premebat,  
Cum premeret, pactam non tenuitq; fidem.  
Disce fidem, & quod inis regum ditissime fœdus  
Seruare, haud superùm ius uiolaq; deùm  
Ut possis homines deluso fallere pacto,  
Crede mihi, superis non ita uerba dabis.

### DE FOEDERE Gallorum cum Venetis.

Fœdera coniungunt Veneto, cum milite Gallus,  
Hinc atq; hinc Latios ut subigant populos.  
Itala terra tremit, populos metus ille Latinos  
Concutit, & mentes abijcit ambiguas.  
Horret & ipsa prius tantos experta furores,  
Aduocat ultores anxia Roma deos.  
Pacem Cæsar habet, Germania tota quiescit,  
Nec quam quis petijt ferre uidetur opem.  
Quorsum hæc? ut summas postquã res traxerit iras,  
Mœsta

## HVTTENICA.

Mœsta luant Galli, mœsta luant Veneti.

VENETORVM mine.

Desperant Veneti secum, extremumq; minantur

Auxilium Turcas, auxiliumq; Syros.

Dum tu magna facis, sine ut illi magna minentur

Heu mihi, quam distant omnia facta minis.

DE CONIVRATIONE VE

netorum & Gallorum.

Magna Iouis uolucris gelida spectabat ab Arcto

Pacem, quam populis fecerat ipsa prius.

Protinus hinc Veneti furia importuna Leonis,

Hinc Galli armatas explicuere acies.

Illam quidem, ut steterat, primos requieuit ad ausus

Et passa est aliquid se uigilante rapi.

Quæ postquam hostiles auxit patientia uires,

In medio Latij mœsta tulere duces.

Tentor( ait ) nimium, subitasq; ut mouerat alas

Continuò Gallus hinc fugit, inde Leo.

Ille quidem Insubres madescit sanguine montes,

Nescio quæ Venetos ulteriora manent.

IN ANNUM M. D. XVI. prognosticon

ad Leonem X. Pont. Max.

Quæ se horrenda mouët superi? quæ dira redūdant

In genus humanum? flagrat proh Iuppiter omnis

In clades Europa suas, Respublica Christi

Heu nimium secura sui, ruit in sua præceps

Viscera, crudeleisq; ciet miseranda tumultus,

Omnis in Italiam tendit furor, ipse minatur

D 2

EPIGRAMMATA

Horrendam Latio stragem Saturnus, & atro  
 Increpuit Martem intuitu, Mars arma necesq;  
 Sanguineum molitur opus, seua omnia regnant.  
 Concessit de iure suo, graditurq; retrorsum  
 Iuppiter, & totum dat acerbis cladibus annum.  
 Idq; adeo metuens, & non ignara futuri  
 Bis petit obscurum, & condit se Luna tenebris,  
 Ipse quoq; inducta pallet ferrugine frater.  
 Tot signis monuere dei, praesensimus omnes,  
 Cavit nemo malum, sed nec potuisse putandum est.  
 Autores dij cladis, & accusabile fatum.  
 Ecce ergo aërias ruit hac à parte per alpes,  
 Effusura omneis iterum Germania vires.  
 Substitit iratus Veronæ ad moenia Cæsar,  
 In Latias speculatus opes, traxitq; feroces  
 Rhætorum populos, & amantes bella Sueuos,  
 Francorumq; equitum nunquã expugnabile robur,  
 Vindelicasq; manus, & abactum montibus illis  
 Heluetium peditem, tum quicquid Rhenus & Ister  
 Quas vires celer Albis habet, peregrinaq; regum  
 Auxilia, Scythicos metuendo Pannonas arcu,  
 Et te Beme armis inuictum, equitemq; Polonum,  
 Hispanosq; alacris, quo non animosior ullus  
 Expugnare urbes populus, neq; segnior audet,  
 Parte alia Gallorum acies, iamq; optimus annis  
 Confertum rex agmen agit, raptumq; tuetur,  
 Insubriæ fines, & agri ditißima regna  
 Cœnomanos, Ligurumq; urbes, alpeisq; subactas.

Dant.

## HVTTENICA

Dant animos iuueni patriæ prædiuitis aurum,  
 Successusq; sui, uolucres in bella sequantur  
 Allobrogum turmæ, pugnantesq; eminus arcus  
 Atrebates, tum qui lōgæuæ ab origine gentis.  
 Se numerat Biturix, suetusq; ad prælia Vascon.  
 Vtilior pugnare pedes, Rhodanumq; colentes,  
 Quiq; bibunt Ligerim, tum quòd te Sequana ripa  
 Vulgus utraq; uidet, quiq; impete Celticus acri  
 Fertur eques, quos dehinc iuuat auxiliaribus armis  
 Vrbs Venetum, fatisq; suis obnoxia fertur  
 In commune nefas, cineta est feralibus armis  
 Italia, & possessa malis, nec iam ipsa salutem  
 Ultra aliquam potis est sperare, peritq; uidendo.  
 Posce deos ueniam supplex leo, & omnibus aris  
 Innocuas protende manus, sacrisq; litatis  
 Iratos placa superos, pax incubet orbi,  
 Et toties sperata tuis, & debita uotis.  
 Iam satis hoc luimus, superet de sanguine nostro,  
 Quòd melius liceat rabidis offundere Turcis,  
 Hostiliq; Asiæ, Solymum quo uindice templum  
 Infestis auferre Syris, diumq; sepulchrum.

QVI ET Quales imperium  
 Italiæ ambiant.

Regna petunt Latij, Venetus, Germania, Gallus,  
 Fraude nocens, uinoq; madens, nimiumq; superbus  
 Dignæ odio gentes. Vinci Italus orat Apollo  
 Italiam leuiore iugo. Gens perfida semper  
 Phœbus ait Venetum, gens semper Galla superbit,

EPIGRAMMATA

Non semper Germana bibit, lege de tribus unam.  
 DE IMBECILLITATE Galli.  
 Parturiunt montes, ille exit ridiculus mus,  
 Cinnama promittit Gallia, præstat olus.  
 Crediderant Itali uenturam è montibus illis  
 Quam posset bello uincere nemo manum.  
 Turba ruit, leuis Atreates, & foemina Pictor,  
 Huicq; superstitio Parrhisiانا comes.  
 Insuetusq; mali Leucus, quiq; impete primo  
 Non potis in longum, Celticus urget eques.  
 Commentorq; fugæ Biturix, timidiq; Cadurci,  
 Et quos iam toties uicimus, Allobroges.  
 Insubres rapiuntur opes, sese obuia produnt.  
 Sfortia se uendit, dat sua regna Ligur.  
 Quos tunc non plausus, quos non decepta triūphos  
 Edebat tellus Itala Galle tibi?  
 Caesar adest, pugnamq; petit, tu uix bene uiso,  
 Non ruis, ut pugnes, sed ruis ut fugias.  
 Desinite ulterius Itali confidere Gallo,  
 Non potis est, siquid cepit, habere diu.  
 Adde, quod hæc armis non uicerat, emerat auxo,  
 Hoc tandem est illi uincere, regis opus.

DE EADEM.

Ver erat, extulerat pugna sua lilia Gallus,  
 Florida bisseis mensibus illa tulit.  
 Ver iterum, gelida mouit se uentus ab Arcto,  
 Nescio quis, subito lilia flacca iacent.  
 Et miramur adhuc, quæ tam breuè lilia florent.

Quin

## HVTTENICA

Qu in finibus dubijs rebus habere fidem  
DE GALLORVM & Vene-  
torum amicitia.

Aurea secla iterum redeunt, Saturnia regna.  
Nunc Cumæa tibi est facta Sibylla fides.  
Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ,  
Intra se hostiles claudet ouile lupos,  
Nimirum coeunt inimica, per omnia pax est,  
Cum placido Gallus pacta Leone ferit.

### DE EADEM.

Viui uenimus huc, superstitesq;  
Iungi sic inimica cerneremus,  
Gallos atq; odij inscium Leonem?  
Atq; hoc credere quis potest nepotum,  
Cum Gallo æquoreas coisse Ranas?  
Vel iunctos ita cum Leone Gallos,  
Aduersus Aquilam petisse signis?  
Hæc audacia magna, at illa maior.  
Si pacto patientia est fideli,  
Inter se coeuntium duorum.

### AD CAESAREM de coniura- tione hostili.

Respexere dei te Cæsar, hoc unde putemus?  
Haud exempla rei, res facit ipsa fidem.  
Cum Gallis Venetus discordibus irruit armis,  
Se nouat, inq; tuas bellum iteratur opes.  
Proiecit ampullas Veneti maris unda, tumescit,  
Iamq; suo maior robore Marcus adest.

EPIGRAMMATA

Credo equidem solium Iouis illum & sidera fastus  
 Poscere, nec mundi regna putare satis.  
 Luxuriantem animum compesce, libidine uincta,  
 Atq; animi uotum contrahere Marce tui,  
 Quantumcunq; bono ueniant tua carbasa uento,  
 Siste tamen, properam cursu inhibeq; ratem,  
 Successus urgere tuos, nimis alta petendo,  
 Eniti, quàm sit res metuenda uide.  
 Sic illum, qui rem melius nouere, monebant,  
 Et meliore fide, perfurit ille tamen.  
 Respexere dei te Cæsar, ad ultima uentum est,  
 Oderunt hominum cuncta superba dei.  
 Nec dubita pactum hoc discordia quanta sequatur,  
 Cuius plena uides omnia perfidiæ.  
 Vnus in hoste labor iuncto, uictoria duplex,  
 Et bene credemus non tibi uelle deos?  
 DE BELLI qualitate ad Germanos.  
 Quàm sapit ille, graui qui temperat utile honesto,  
 Nec temere ullius fertur amore boni.  
 Regna petūt Veneti, sed nō sua, quàm sit honestū hoc  
 Haud operæ precium perspicere esse putant.  
 Vt rapiant, socijs armant se in prælia Gallis,  
 Iamq; adeò tentant Cæsar's arma palam.  
 Iungantur Gallis Veneti, nos causa tuetur,  
 Quæ quoniam iusta est, spem iubet esse ratam.  
 Vltiores sperate deos, iniuria belli  
 Quos premit, interea corripite arma tamen.  
 Ignauos odere dei, uigilantibus adsunt,

## HVTTENICA.

In coniuratos corripite arma uiri.

DE BELLO Veneto ad Cæsa.

Bellum ingens oritur, proh numina, materia apta est,

Quam sibi desumat quodlibet ingenium.

Magnas cogit opes magno molimine Gallus.

Nec Venetis sumpta est acrior ira prius.

Tranquillus petitur Cæsar, tantiq; paratus

Vnica Germanum causa fit imperium.

Spe magna gerere arma datur, iam te obijce Cæsar.

Hac te cunctari restulit ista tenus.

Ultrà omnis damnosa mora est, magna hostis aditur,

Sed quæ se uinci sustinet ira tamen.

Quorum utrumq; armis superauimus ante seorsum,

Quis prohibet iunctos exuperare duos?

QVALE sit hostium fœdus  
ad Cæsarem.

Ille adeò semper Venetorum cognitus hostis,

Cum Venetis tandem fœdera Gallus init.

Da specimen Germane tui, rumpe ocia Cæsar,

Totq; lacesitus prorue in arma modis.

Omnis in euentus rerum Italus arriget aures.

Mentem illis nouitas adijcit, his adimit.

Expauère aliqui, tum plebs ignara futuri,

Vt possis satis his uiribus esse, timet.

Ne timidis Cæsar concede, hoc fœdere Gallum

Creuisse, atq; igitur robur habere duplex.

Non ut amet Venetos, ut te oderit, istud iniuit

Fœdus, & hoc dubitas, qua tenus esse queat:



## EPIGRAMMATA

### DE FOEDERE cum Gallis Venetorum.

Pace inimica diu Venetis & foedere iuncta est  
Gallia, degeneres terreat hoc animos.  
Iuratum est in te Cæsar, iamq; arma parantur,  
Te contra, & ciues expedienda tuos.  
Incurfus terrore tui, iam dum acrius instas  
Qualibet hos iungi conditione facis.  
Res bene habet, nisi quos committere foedera cogis,  
Cogere ad hæc eadem dissoluenda nequis.

### DE BODEM.

Thure piate deos, onerate altaria donis,  
Cum Veneto Gallus semileone facit.  
Iuncta semel disiuncta diu discordia concors  
Hæc tandem eximij causa laboris erit.  
Grata uiri soluenda deis, cadat hostia, rectè  
Sic cum Germanis an dubitamus agi?  
Materia ingenti sese obtulit ista triumpho,  
Nunc quæri decus hoc, nunc honor iste potest.  
Tantum (ut cum Venetis metuum se iungere Gallos,  
Atq; hostile in nos surgere foedus) abest.

### HORTATUR ad pugnam.

Pugnandum, Euganeas conciuuit ab æquore Ranas  
Gallus, & optiuo nomine Marcus adest.  
Expuit hostiles uento inæitus Adria spumas,  
Contra Aquilam, patrij murmuris usus ope,  
Res bene habet, siue hanc pugnemus in aëre pugna,  
Siue in aquis, terra seu capere arma iunct.

Pens

## HVTTENICA.

**Penna** Aquilæ rostrumq; ingens, unguesq; redunci,  
Lumen, & inuerso sole probata acies.  
**Pectus** & ingenium & præstanti robore corpus,  
Tum regnum hoc auium, tum fauor ille Iouis.  
**Pugnet** eques, pugnetq; pedes, rate nauiget æquor,  
Quisquis in Austriadem comparat arma Aquilæ.

### AD CAESAREM.

**Auctæ** hostis Caesar uires, atq; aucta potestas,  
Armaq; ab aduerso congeminasse uides.  
**Non** iubeo timeas, sed ne contemne periculum,  
Tum uerò ut soluas ocia, tempus adest.  
**Tempus** adest, age rumpe moras, & somnia differ,  
Iam uigilant Galli, iam uigilant Veneti.  
**Surge** age, cunctatum satis est, tum ritè quiesces,  
Cum tibi quem cures, non super hostis erit.

### DE IULIO II. Pont. Max, orbem Christianum in arma concitante.

**Concitat** iratum bellator Iulius orbem?  
Effera pacificos induit arma duces.  
**Tela** dat Italiæ, tibi dat Germania bellum,  
Hoc turbante domo prodit Ibera quies.  
**Impulit** audaces eadem uesania Gallos,  
His facibus Venetas ardor adussit opes.  
**Vltima** ab hoc flauos dedit insula mota Britannos,  
In commune Scotus contulit arma nefas,  
**O** ubi nunc Turcæ, sed inexcusabile bellum,  
Orbis in exitium commouet unus homo.  
**Omnibus** arma dat unus homo, bellum omnib. unus,  
Idem

## EPIGRAMMATA

Idem publica res efficit ut pereat.  
 Vt Christi perimantur oues, turbetur ouile,  
 Pascat & admissos caula adaperata lupos.  
 Hæc rabies placido dimouit uincula Iano,  
 Hæc furia impleuit omnia cæde noua.  
 Atq; huic qualis erat (neq; enim bonus) illud ouile  
 Credidimus, miserum credidimusq; pecus.  
 Toti quinetiam regem præfecimus orbi,  
 Nomine pastoris, nomine pontificis.  
 Diræ uenenato soboles latro prodite partu,  
 Hic Christum, hac sequeris conditione Petrum?

### DE GLADIO Iulij.

Ille sui longo successor in ordine Petri,  
 Mære nouo tantas res agit, & studio.  
 \* Nam neq; pro populis orat, paci relictus,  
 Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet.  
 Verum bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet,  
 Nimirum Paulum prætulit ille Petro.  
 Paulus habet gladium, sed non ferit, occidit illo,  
 At malus hic multis intulit exitium.

### DE EODEM.

Huc barbam Pauli, gladium Pauli, omnia Pauli.  
 Clauiger ille nihil ad mea uota Petrus.  
 Hoc simul edixit, pro Christo accersere mortem  
 Ultro credidimus, durâq; uelle pati.  
 Tum uerò occinuit funesto classica cornu,  
 Continuo præceps mundus in arma ruit.  
 Hoc Pauli tibi barba pater, tibi suaserat ensis?

Hoc

HVT TENICA.

Hoc istæc licuit arma tenere modo?  
Quem gladio decet occidere, haud occidere Pauli,

Aut satis armatum clauibus esse Petri,

DE IULII Perfidia,

Iulius à Phrygio qui legit nomen Iulo,

Et cui nunc rerum contigit esse caput,

Discite quos tanto dederit cum nomine mores,

Quo iure Assaricis adnumeretur auis.

In dubios casus auidum cum Cæsare Gallum,

Abstulit, ablatos deseruitq; citò.

Non seruasse fidem, destructæ infamia Troiæ est,

A Troia in nostros hoc trahit ille dies!

Neptuno Phœboq; Phryges promissa negarunt,

Exemplo geminos fallit & ille duces.

Perfida bis ueteris ceciderunt Pergama Troiæ,

At quando, aut quoties perfidus ille cadet?

Vna luit, decimum dum bellum ducit in annum,

Laomedontæam Græcia clade fidem.

At feret hunc Gallus, feret hunc Germania pugnam,

Callida disposito pacta ferire dolo?

AD PRINCIPES Christianos.

Sic perijt pudor, & perijt prudentia Reges?

Sic iuuat in cladem uos sine mente trahi?

Atq; ipsos suasore iuuat uos perdere Iulo?

Vecordes monitis in scelera huius agi?

Et cum nondum Asiæ bellum, Ægyptusq; negarint,

Intestina domi conserere arma iuuat?

Aut quasi pauca sero ueniant hæc commoda Turcæ,

Sic

EPIGRAMMATA

Sic propria uisum est cladis amore trahi?

Inq; uicem uos ciuili consumere bello.

Vt super exhaustos uiribus ille ruat.

Ah pudeat Liguremq; sequi, dum suadet, Iulum,

Et tandem placeat consulere in medium.

DE IULII instituto.

Iulius assumptis Petrum clauibus ante

Cœperat ire gregem.

Continuò lupus acer oues inuasit, & atrox

Miscuit exitium.

Ille datis Petri diffusus clauibus, actas

Liquit inermis oues.

Nec mora Paule, tuum quo se tueatur ad enses,

Non propria arma ruit.

Ecce autem insueto contra sua castra paratus

Dum uidet ire lupus.

Indoetum gladij, quæ non bene cœperat egit,

Deserere arma ducem.

Contemptas recipit Petrus sua mœnera claues,

Qui ferat, alter erit.

Nescius at Paulus ne quis sua conserat arma,

Priuat & ense uirum.

Quas nunc ducet oues, quæ nunc in pascuis, mancus

Clauibus & gladio?

IN IULIUM DE statu ur-

bis Bononiensis.

Olim clara uiris, & splendida uatibus olim,

Fortuna nullis inferiorq; locis,

## HVTTENICA.

Maeret apud patrium deserta Bononia Rhenum,  
Cum res perdidit perdiditq; uiros.

Maeret, at interea uastator Iulius audet  
Dicere, prouectum uindice se in melius,  
Siccine res hominum, tu siccine prouehis urbes,  
Pernicies uatum, nobilitatis, opum?

### DE IULIO.

Pertasum est Petri, nunc Iulius esse laborat,  
Martia contemptis clauibus arma gerit.  
Ρομάς δ' ἰφθίμους Ψυχὰς ἄϊδ' ἰωγοῖα Ψεῦς  
Hanc summam laudis praedicat ille suae.

### DE IULIO Allusio.

Iulius est Romae, quis abest? date numina Brutum,  
Nam quoties Romae est Iulius, illa perit.

### DE GALLO ET Caesare iamiam pugnaturis.

Arma per Insubres Gallorum hinc, Caesaris inde,  
Mutuum in exitium rapta tenentur agros.

Vtrimq; atra uiris rabies, & sanguinis ardor,  
Stat ferro, & dubia caede petita sequi.

Non licuit superi tantum seruare cruoris?  
An nisi cruda parant uulnera cuiq; suum?

Et causam his dederit tuus ille uicarius armis  
Christe, tuumq; omni perdat ouile modo?

Tu casus Fortuna regis, te iudice certant  
Gallorum inde acies, Caesaris hinc acies.

### DESCRIPtio Iulij.

Qui chalibe & duris amicitur Iulius armis,

Ter

EPIGRAMMATA

Terribilis barba, terribilisq; coma,  
 Cui toruos horrore oculos frons occulit atrox,  
 Tartaræ ignescunt cuius in ore minæ,  
 Ille inquam gladijs, atq; occidente sagitta  
 Et terra populis, & metuendus aquis,  
 Qui trucibus reges terrarum innexuit armis,  
 Qui tetrum excito seuit in orbe malum,  
 Ille tot exitiorum, & tanti criminis autor,  
 Quo se cum populis imminuere duces,  
 Quiq; manu, quiq; ingenio dira omnia patrat,  
 Natus in humanum pestis acerba genus,  
 Cuius opus mors est, turpissimus ocia luxus,  
 Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit,  
 Ille inquam talis cum uita & moribus extet,  
 Dissimilis Christo, dissimilisq; Petro,  
 Quid facit, aut quid habet, quod tandē dicere possis  
 Dignum Romani nomine pontificis?

DE INDULGENTIJS IULIJ.

Fraude capit totum mercator Iulius orbem,  
 Vendit enim cælos, non habet ipse tamen.  
 Vēde mihi quod habes, nā quō pudor, ut mihi uēdat,  
 Ipsum te Iuli cuius egere uides.  
 Quin fera centimanos emittat terra Gigantes,  
 Iulius expulso uendat ut astra Ioue.  
 Donec enim cælos alius regit, & tonat inde,  
 Non ego tam magni numeris emptor ero.

DE EISDEM.

Nunc ego terq; quater uenturæ gaudia uitæ,

Et

## HVTTENICA.

Et quædam, quæ sum uix habiturus, emi.  
Accepi toties tabulas, impressaq; ceræ  
Nomina, sed tantum nomina cum tabulis.  
Nil & hoc temere, neq; enim sperare quis ausit,  
Empturum se, quæ uendere nemo uelit,  
Aut si fortè uelit, quæ nemo uendere possit,  
Cum cælum solus, qui bene uiuit emat.  
Iam uero ut risu hoc dignum (tanquã esse beatum  
Testibus hic egrat) signa peti & tabulas?

### IN IULIUM.

Omnia turbantur, retro omnia uersa uidentur,  
Qui bene non uiuat, posse beare alios?  
Cum multos ferroq; neces, atroq; ueneno,  
Cum scelere occiderint nullia multa tuo.  
Cum tibi funesti sint sola negocia belli,  
Ocia monstrosæ conscia luxuriæ,  
Cum dicas faciaq; nihil, nisi turpe malumq;  
Interea cælum expendis Iule tamen?  
Idq; aliquis credat, cui mens in corpore sano  
Sana sit, & Christum, qui putet esse deum?

### DE IULIO.

Hunc scelerũ autorem tantorũ, hunc fraudis amicũ,  
Cui requies bellum, pax odiosa fuit,  
Omne libidinis genus usq; ad monstra notatum,  
Quo dare quid peius dij tibi terra queant?  
Non tantum esse malum permisimus, esse beatum  
Credidimus, mundi pertulimusq; caput,  
Exhaustas igitur diuino lumine mentes,



EPIGRAMMATA

O in errorum rusticitate uagas.

AD IULIUM.

Dic mihi sancte pater, caelestis ianitor aule,  
 Cui geritur summæ relligionis apex.  
 Qui Reges regis, atq; locas relocasq; Tyrannosq;  
 Qui nutu soluis cuncta, ligasq; tuo.  
 Qui sanctos facis, & cui comigit esse beato  
 Ante obitum, qui nos ante obitamq; beas.  
 Quid tibi bombardis opus est? quid equisq; uirisq;  
 Quæq; armata præit, quæ sequiturq; manus  
 Hastarumq; ista segete, atq; horrentibus armis?  
 Quid cinctura opus est hac, gladijsq; tibi?  
 Omnia quid trahis hæc, aut cur sanctissime tanto  
 Belli opere expugnas oppida, castra, domus?  
 Nonne manu poteras, tremulo simul ore, leuata  
 Hos dare dijs subito manibus, hosq; deos  
 Certè omnes Petri similes, aliterue probatis  
 Moribus, hæc possunt omnia pontifices.  
 Quid dicam? an quoniam malus es, diffusus & armis  
 Pontificum, & præceps Martis in arma ruis?  
 Om te erratum mundum, qui, cum ista faceßis,  
 Non uidet à Petri te procul esse uia.

AD CAESAREM de Ger-  
 mania statis.

Quando erit ut lumen Germania capta resumat,  
 Hinc Romam ut uideat seq; suumq; trahi?  
 Quando erit, ut bullas, auroq; parabile plumbum  
 Orbe aliquis uendi cernat, emiq; alios?

Auf

## HVTTENICA.

*Aut tua perpetuo, quod nunc Germania Caesar,  
Ludibrium Romæ diripientis erit?*

*Quin mudi imperiū, & caput hoc mudi imperij  
(Nam possum haud aliud dicere) Roma tua est.*

AD CAESAREM DE  
bello Veneto.

*Sanguinis effusum ciuilis Caesar abunde est,  
Iam credo hoc ducet Iulius ipse satis.*

*Accipiant Veneti dominum te, Gallus adoret,  
Publica Christicolæ foedera imite duces.*

*Te reuehat celebri Germania læta triumpho,  
Dehinc Asiam Christo cogat habere fidem.*

*Summa sit hæc rerum, uota hæc communia sunt,  
Quod uelit ille deum rector habere ratum.*

AD CAESAREM IMPERA  
torem Maximilianum Epi  
grammatum finis.

## VLRICHI AB HVT

### TEN EQVITIS GERMANI

*pro Ara Coritiana, quæ est Romæ,*

*Epigrammata.*

E